

describuntur anaglyphum militis in viva rupe insculptum *Cheshire* n. 4, statua Attinis, ut videtur, n. 5; item reliquiae aedificiorum) eosque scriptores, quos supra enumeravi, non multi dixerunt (cf. *Archaeologia* 28, 1840 p. 451; *archaeol. Journ.* 3, 1846 p. 163; C. R. Smith *gent. mag.* 32, 1849 p. 298 ss. cf. 5, 1858 p. 609 ss.).

In *Derbyshire* variis locis supersunt reliquiae viarum castrorumque Romanorum, de quibus accurate exposuit Samuel Pegge (*Archaeologia* 10, 1792 p. 17 ss.; extant eiusdem de comitatu praeterea scripta varia, ut apud Nichols bibl. top. Brit. n. 24 Lond. 1784 4.) — nam apud Camdenum (2 p. 415) non multa leguntur quae huc faciant (cf. Gough 2 p. 419). Abundat regio illa fodinis plumbi, unde massae aliquot plumbi inscriptae prodierunt ex numero earum, quas infra proponemus coniunctas. Apud *Brough* prope *Castleton* tegulae prodierunt cohortis alicuius incertae; prope *Buxton* repertum est fragmentum miliarii. Ea infra edemus; hoc loco titulos tres tantum adiungere licuit Devensibus, militares item omnes, quorum primum iam

1. GIBSON novit (n. 176), postea eum plures quidem ediderunt, sed nemo accurate.

2. Reliqui duo (n. 177. 178) debentur scriptoribus *Archaeologiae* Londiniensis duobus WATSON et ROOKE, quorum ille situm castrorum Romanorum in *Melandra Castle* primus definivit. Scripserunt de comitatu praeter alios hi.

3. Guil. STUKELEY (*account of a large silverplate of antique basso-relievo found in Derbyshire*. Lond. 1736 4.). Illustratur titulus christianus, quem in hanc syllogam non recepimus.

4. Guil. BRAY (*sketch of a tour into Derbyshire and Yorkshire*. Lond. 1783 8.); is miliarium tantum Ratis (*Leicester*) repertum profert.

*5. Iac. Pilkington (*a view of the present state of Derbyshire, with an account of its . . . antiquities*. Derby 1789 2 voll. 8.) praeter massas plumbi aliunde notas et titulum n. 176 nihil profert, quod huc faciat. Eundem titulum (n. 176) libelli varii exhibent scripti peregrinantibus,

qui regionem amoenitate claram *the Peak of Derbyshire* invisunt; quos sprevi omnes.

6. Thomae NOBLE et Stephani GLOVER opus (*the history and gazetteer of the county of Derby; the materials collected by the editor St. Gl.* Derby 1831—1833 2 voll. 8.) non absolutum est. Agitur ibi de antiquitatibus Romanis (1 p. 263 ss.), sed tituli non exhibentur.

7. Thom. BATEMAN (assisted by St. Glover, *vestiges of the antiquities of Derbyshire and the sepulchral usages of its inhabitants from the most remote ages to the reformation*. Lond. 1848 8. cf. *assoc. Journ.* 3, 1848 p. 350 s.) praeter utilia non pauca titulos aliunde fere notos neque ex lapidibus, ut videtur, profert. Idem valet de eiusdem scriptoris libris aliis duobus (*descriptive catalogue of the antiquities and miscellaneous objects preserved in the museum of T. B. at Lomerdale House, Derbyshire*. Bakewell 1855 8.; *ten year's diggings in Celtic and Saxon graveshills in the counties of Derby, Stafford and York from 1848 to 1858*. Lond. 1861 8.).

In *Staffordshire* tituli inscripti quantum scio inventi sunt nulli (cf. Goughs *Camden* 2 p. 495. 500 ss.; *Archaeologia* 33, 1849 p. 175). Scriptores eius comitatus consului hos.

1. Rob. PLOT (*the natural history of Staffordshire* cet. Oxon. 1686 fol.) in universum tantum agit de antiquitatibus comitatus, titulis adiectis nullis.

2. Stebbing SHAW (*the history and antiquities of Staffordshire* cet. Lond. 1798. 1801 2 voll. fol.; exemplum musei Britannici additionibus variis auctum est). Describuntur (p. 14. 15. 19) reliquiae valli alicuius fortasse Romani (at *Pipe Hill* prope *Wall*) ex pilis ligneis facti, viae, castra; tituli non proferuntur.

*3. *A new and accurate survey of the Lichfield [Greene] Museum*. Lichfield s. a. (cf. Shaw *Staffordshire* 1 p. 331). Libellum rarissimum non vidi; inesse dicuntur tituli massarum aliquot plumbi ibi repertarum.

4. Rob. GARNER (*the natural history of the county of Stafford, also its antiquities, topography* cet. Lond. 1844 8.) titulos item non profert.

In fine praefationis inserere placuit titulum Graecum Devae repertum unicum, ne prorsus abesset ab hac sylloge. *Chester*, rep. paullo ante a. 1856 *when making some excavations near the exchange*; litteris elegantibus.

H P C I N
Γ Ε Ρ Μ Ε Ν Ε Σ Ν
Ε Ρ Μ Ο Γ Ε Ν Η Σ ·
ΙΑ Ρ Ο Σ Β Ω Μ Ο Ν
5 Τ Ο Ν Δ Α Ν Ε Θ Η Κ Α

I. Y. Simpson *Archaeol. Scotica* 2, 1, 1856 p. 79 ss. cui misit Davies.

De Hermogene imperatoris Hadriani medico (Dio 69, 22) cogitavit editor neque obstat litterarum forma, quominus tempori illi adscribatur titulus. Sed fuerunt medici eius nominis non pauci, ut docet Benseleri onomasticum.

[Θεοῖς σωτῆρσιν [ὑπ]ερμενέσων Ἐρμογένης ἱατρός βωμῶν τὸν ἀνέθηκα

164 *Chester*, ara rep. a. 1779 in effodiendis fundamentis aedificiorum aliquot novorum in *Watergate-street*, in the *Yatch field* LYS., PENNANT. *Servabatur in the grounds of Oulton Park* ORM. Nunc est in museo Britannico; litterae sunt tenues et altae, sed elegantes saeculi secundi exeuntis.

in latere sinistro:

sertum
sceptum cum
serpente (Aesculapii)
simpulum, cultri
varii

sertum
FORTVNAE · REDVCI ·
AESCVLAP · ET · SALVTI · EIVS
LIBERT · ET · FAMILIA
PI · XIPONI · T · F · GAL · MAMLIAN
5 RVFI · ANTISTIANI · FVNVSVLN
VETTONIANI · LEG · AVG ·
D · D

in latere dextro:

sertum
cornu copiae et
gubernaculum
(Fortunae)
patera

Contuli et edidi act. Berol. a. 1866 p. 800; Lysons *Magna Brit.* 2 p. 430 in tab. (inde Goughs *Camden* 3 p. 50 tab. 2 fig. 5—7); Pennant *tour in Wales* I p. 14 *suppl. tables* tab. 10 fig. 1; Ormerod *Cheshire* 1 p. 294; Ellis *the Townley gallery* (Lond. 1836 8.) 2 p. 284. C. R. Smith *collect. ant.* 6 (1868) p. 40.

4 // VPON I · T · F · GAL · MAMLIAN /// Lys., I · HIMIPONI · T · F · GAL · MAMLIAN Smith. 5 RVFI · V · T · STIANI · FVNVSVLN /// Lys., RVFI . . . I · STIANI · FVNVSVLN Smith. 6 VEI · TO /// NI · LEG · AVG Lys. Reliquorum variam lectionem sprevi.

Nomen gentilicium legati incertum est; terminatur in . . . *poni* vel . . . *roni*, ut etiam cogitare possis de Obultronio et Sempronio; sed neque haec duo nomina nec id quod infra proposui cum litterarum apicibus, quos dispexi, prorsus conveniunt. Ceterum homo ipse, qui inter alia etiam Funisulani Vettoniani, legati imperatoris Domitiani, nomina gerebat (cf. Borghesi *opp.* 3 p. 72 ss.), mihi aliunde non notus est.

Fortunae reduci, Aesculap(io) et Saluti eius liberti et familia P. (?) [Caetr]oni T. f. Gal(eria) Mamilian[i] Rufi Antistiani Funisulani Vettoniani le(gati) Aug(usti) d(onum) d(ant)